

1750.

1.

Buechnerus, Andreas Vetus: De acidis et salini usu medicis.

2. Carrach, Joannes Philippus: De jure contenti capellas.

3^o Carrach, Joannes Philippus: De foro continentalia causarum ex iustitate

4. Carrach, Joannes Tertius: In altero conjugiorum testamento remunerare possit unione preliam.

5. Eichmann, Mr. Ludovicus; at: De pacis quibusdam principiis jure Romano iustis aut iuris iustis
et natura iustis et iustis.

6. Glume, Georgius Gottfridus: De gravitate universalis.

7^o Hesler, Philippus Faedus: De pupillantibus substituto heredes legitimas principales matrem pupilli exclusante 15 Sept. 1750 i 1765.

8. Koenig, Joannes Carolus: De insigni differentia directionum coniugium circularium et circulorum P. R. F.

- ^x 9. Langius, Janus Traditor: De jure prudentiae naturalis in
statu integratissimo et corrupto, praeposuit de origine
iuris perfecti et imperfecti ex statu corrupto.
- ^x 10. Meier, Georg Tristianus: De virtutibus physiologischis
cum christiana convenientia et inconvenientia
- ^x 11. Meier, Georg Tristianus: De sonno morali
- ^x 12. Nettelblatt, Daniel: De successione in expectacionem
fonsalem
- ^x 13¹ =^t Nettelblatt, Daniel: De legato datis constitutis.
= 2 Sept. 1750 - 1769
- ^x 14¹ =^t Nettelblatt, Daniel: De variis causis in gloriosis
obvios decidunt mortis in genere. 2 Sept. 1757
= 1768
- ^x 15. Nicotii, Grotius Samuel: De submissione mentis velgo
humiliatae

16.


Petri, Paul Friedrich: zeigt, wie die Stadts-Historie eines jeden
Rechts in einer Regs. Einleitung ... zu entwerfen ist. Petri
freut sich seines kraftigen Sommern-Vorlesungen ein.

17. Pauli, Paul Friedrich: erfüllt seine Gedanken von dem
Begriff & dem Grunde des Stadts-Ramius-B.: zeigt.
Zugleich seine Winter-Vorlesungen e.

18. ^o Reuterus, Joannes Hartwich: De substitutione reciproca
ejusque & jure ad crescendis discriminis. 2 Sept

19. ^o Rentius, Joannes Hartwich: De jure testamti unionis
libato post initiam unionem prolationem compleatae
causisque, quare non utique omnis prolationem pre-
sumit, sublatiss. 2 Sept

20. Nebens, Christanus: De jurisprudentia naturali
in statu indegritalio etiam corrupta.



7

1750
1d

DISSERTATIONEM SOLEMNEM
DE
REVVLSIONIBVS
GENERATIM

PRO GRADV DOCTORIS

D. IX. I V L. M D C C L.

PVBICE DEFENDET

A V C T O R

IOANNES CHRISTIANVS BOLTEN

TYCHOPOLI - HOLSATVS.



*HALAE MAGDEB.
LITTERIS HENDELIANIS.*

2 V 111

ZARATHOURE

VIRIS
PRAENOBILISSIMIS EXPERIENTISSIMIS
ATQVE DOCTISSIMIS
DOMINO
**IOACHIMO FRIDERICO
BOLTEN**

MEDICINAE DOCTORI, SVB-PHYSICO ET VALETUDINA-
RII CIVITATIS HAMBVRGENSIS PESTHOFF DICTI
PRACTICO CELEBERRIMO,
FRATRI SVO DILECTISSIMO.

NEC NON

DOMINO
IOANNI AVGUSTO VNZER
MEDICINAE DOCTORI, PRACTICO HALENSI
FELICISSIMO.

FAVTORIBVS AC AMICIS

TENERIMO AFFECTV AETATEM COLENDIS

CVM ARDENTISSIMIS VOTIS

IN TESSERAM NON FVCATAE AMICITIAE

HANCCE DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

A V C T O R.



PROOEMIVM.

In multis periculosisimis morborum speciebus, humorum Reuulsiones maxime sanitati consulere quis neciat? Siue apoplexiae, siue paralyseos, siue catarrhi suffocatiui rationem habeas, in omnibus congestionum & plerarumque haemorrhagiuarum noxiarum classibus non omnino nihil sunt. Interea tamen certissimum & hoc est, multos medicorum hoc in negotio varie & periculose errare. Ratio est, procul dubio, quia naturam harum curationum & earundem indolem non legitime penetrant. Consultum itaque visum est, in hanc curationis speciem accuratius inquirere, & aliquas meditationes hisce paginis dicare. Absolutur autem haec mea de Reuulsionibus dissertatio, disquisitionibus de notione de natura & legibus reuulsionem, deque diuersis reuulsoriorum operandi modis, legibus & proprietatibus. Vbi visum est, subiunxi cautelas & obseruationes practicas. Fuis de Reuulsionibus differere aut exactam earundem theoriam exhibere animus non fuit. Ex his, credo, principiis reliqua omnia facilime eruuntur.

A 3

§. I.

§. I.

Media, quibus humores corporis animalis, hinc & humani, versus partem aliquam specialem eum in finem diriguntur, ut particularis eorumdem directio versus aliam partem impediatur, sunt Reuulsoria, eorumdemque effectus non impeditus est Reuulsio. Ex mox subsequente huius conceptus analysi parebit non solum eiusdem veritas, sed etiam propria reuulsionum natura.

§. II.

Reuulsoria non semper sunt medicamenta stricte dicta. Venaefectiones, vesicatoria, caustica actualia &c. nomine medicamentorum strictius non veniunt, et si saepissime reuellendi scopo adhibeantur. Hinc reuulsoria non optime dicuntur medicamenta, quamvis verissimum sit, multas reuulsiones medicamentis stricte dictis e. g. laxantibus, rubefacientibus &c. produci posse. Reuulsorium est quodcumque medium, sit medicamentum vel minus, sit vel medicamentum internum vel topicum, si tantum sufficit ad reuulsionem efficiendam.

§. 3.

Omnia reuulsoria agunt in humores corporis humani, idque vel mediate vel immediate. Species humorum in quos reuulsoria agunt in definitione commode non adhibentur. Sunt quae sanguinem e. g. Venaefectiones reuulsoriae, sunt quae serum dirigunt e. g. fonticuli, setacea &c. versus loca particularia. Hinc conceptus generalis humorum figendum est. Quum vero omnis corporis humani humor cum sanguine stricte dicto artius connectar, concedendum omnino est, omnia reuulso-

uulsoria modo proprius modo remotius in sanguinem
agere.

§. 4.

Omnia reuulsoria in humores agere, quilibet facile
concedet, si perpendimus, omnem reuulsionem in spe-
ciali quadam humorum directione versus partem peculia-
rem confistere, quam tamen ipsa reuulsoria efficiunt.
Hinc si quis putaret, illa reuelentia, quae stimulando &
dolorem vel fortiorem sensationem excitando agunt, non
in humores sed in nerois potius agere, non cogitaret,
ipsam subsequentem humorum reuulsionem testari de a-
ctione horum remediorum in humores, et si in hoc casu
tantum fuerit mediata. Accedit, quod dolor aut sensatio
fortior a stimulantibus produci minime posset, nisi aga-
tur in fluidum nerueum, quod ad omnes sensationes ne-
cessario requiritur. Iam autem fluidum nerueum perti-
net ad humores corporis humani: hinc certissimum est,
ipsa stimulantia reuulsoria in humores agere. De reli-
quis reuelentium speciebus, dubitate existimo neminem.

§. 5.

Reuelentia dirigunt humores ad partes corporis
speciales. Reuulsio, quae respectu partium corporis
vniuersalis esset, non foret reuulsio. Quis medicorum
sudorem vniuersalem vnuquam reuulsionem adpellari?
Sudor contra particularis, saluis reliquis omnino pro re-
uulsione haberi posset. Veritas huius asserti ex eo eriam
paret, quia reuulsiones semper opponuntur particulari-
bus humorum congestionibus, uti infra demonstrabitur,
& quia ex consensu omnium medicorum ad omnes re-
uulsiones requiritur, ut instituantur in partibus parti af-
fectae

fectae oppositis, id quod numquam fieri posset, nisi humores ad partem specialem corporis inuitarentur. De reliquo, humores in illo loco particulari, in quem per reuulsoria congeruntur, non semper remanere debent, sed interdum etiam sit excretio eorundem. Sic e.g. in venae sectione reuulsoria humores ad venam secatam directi simul excernuntur, quod etiam de fonticulis, setaceis &c. valet. Interim in vitroque casu specialis directio humorum versus quamdam partem obseruatur, & haec nota est generalis in notione reuulsionum.

§. 6.

Loca versus quae humores reuulsi diriguntur possunt esse tam externa, quam interna. Sic e.g. laxantia, saluis reliquis, reuulsionem ad partes internas, intestina puta, efficiunt, cum e contrario rubefacientia humores in partes externas mittant. Pari ratione modo unica, modo plures corporis humani partes simul possunt esse sedes congestionis reuulsoriae. Tandem partes istae possunt esse vel naturales vel vitales vel animales, et si non omnes hae partes promiscue elegi debeant a medico prudenti, qua de re suo loco plura.

§. 7.

Non omnis specialis directio humorum versus quasdam partes reuulso est dicenda. Hoc enim modo omnes congestiones essent reuulsiones, quod tamen a nullo medico concedi poterit. Hinc notioni reuulsionum addenda est nota illa specifica, quod hae directio-nes humorum speciales eum in finem producunt, ut alia specialis humorum directio impediatur §. 1. Haec impedito semper est rationatum legitimae reuulsionis.

Quum

Quum enim vires sibi oppositrae se inuicem destruant, & quidem eo magis, quo magis sibi opponuntur, necesse est, ut congestio reuulsoria, quae humores ad partem dirigit, quae aliae, versus quam congestio facta est, opposita est, tantum derrahā vi huius congestionis quantum humores in partem opositam dirigit. Quia ergo ratione impeditur prior congestio, & hoc impedimentum, quatenus a reuulsione tamquam rationatum dependeret, semper ut finis considerari debet, cuius media sunt caussae. Hinc reuulsiones sunt media §. 1. 2. quorum finis est impedimentam congestionis ciuisdam. Ponas itaque congestionem odontalgicam, per Venalectionem in pede imminuendam, haec Venalectione erit reuulsoria, quia ad impediendam illam congestionem facit.

§. 8.

Omnes reuulsiones vnicum illum finem habent vltimum ut humores versus partem quamdam specialiter directi, in hac sua directione impedianter. Cuius haec est demonstratio. Omnis reuulsio est species curationis, id quod nullus medicus facile in dubium vocabit; per omnem curationem autem actuatur oppositum morbi curandi. Per reuulsiones nihil aliud obtinetur, quam directio humorum specialis versus quasdam partes §. 3 - 5. Hinc directio specialis humorum est oppositum morbi cui reuulsiones opponuntur. Oppositum specialis directionis humorum respectu partium corporis, est, aut directio versus nullas partes, quae irrepresentabilis, aut vniuersalis respectu partium, id est, quae ad omnes corporis humani partes legitime tendit, & haec non est morbus, aut est alia particularis directio humorum, illi,

B respe-

respectu partis, versus quam tendit, opposita, & haec est morbus, qui congestio dicitur. Hinc curatio per reuulentia vnicet huic ultimae congestioni opponi potest, & est ideo impeditio specialis cuiusdam directionis humorum versus quasdam corporis partes, finis reuulsionum ultimus vnicus.

§. 9.

Congestio illa per reuulsiones impedienda, vel est praesens, vel futura (imminens). Priori casu reuulso est curatio stricte dicta, posteriori vero est praeferuatiua. Hinc in ipsis reuulsionibus praeferuatoriis, quales saepissime sunt fonticuli & setacea &c. tamen idem vnicus scopus obseruatur §. 8. Interim non adfirmo nullum plane alium praeter hunc finem reuulsionum esse; notissimum est, reuulsionibus dolores sedari, febres inflammatorias praeoccupari & minui &c. Omnes autem huius fines sunt primario seu ultimo vnico subordinati: impedita enim congestione particulari noxia impediuntur omnia symptomata ex hac originem trahentia, quae sunt dolores, inflammations, infarctus, stases, corruptiones, reliqua. Denique etiam obserues amabo, me non negare, quod tali congestioni noxiæ saepe aliis ex fontibus & sine reuulsionibus plenarie mederi queas: nihil minus tamen talis congestio semper est causa reuulsionum, seu indicans primarium. Reliqua omnia huic subordinantur §. 8. & non sunt nisi symptomata eiusmodi congestionis vel imminentis vel praesentis.

§. 10.

Quum itaque per reuulsoria motus humorum mutetur §. 4. a parte quadam speciali auertatur §. 7. & ad aliam

aliam partem securiorem inuitetur §. 5. 6. facilime exinde leges reuulsionum deduci possunt. Quae sunt 1) adplacetur remedium motum humorum alterans §. 4. 2) vinclatur, vel vi reuulsorii, vel aliis remedii simul adhibitis, vis dirigens humores in partem illam, cui morbus inhaeret. §. 7. 3) determininet humorum directio ad aliam partem, restituendae sanitati conuenientissimam. Hae leges ex natura reuulsionum ipsa fluunt; & secundum has dijudicari deber, an reuulso legitime sit instituta, nec ne? Videamus itaque quibus modis medicus in hoc negotio errare possit, & experientia teste saepissime erret. Eum in finem proferam errores tantum praecipuos & iudicio Lectoris relinquam ut reliquos ex his pullulantes detegat.

§. ii.

i. Incongruum est & absurdum reuellere velle, vbi nullus humorum praeternaturalis motus vel imminet, vel praesens est. Motus humorum congestoriū sunt unicum primarium reuulsionum indicans, quo absente nil est quod reuellas. §. 8. Ipsi qualitatibus humorum morbi non indicant reuulsoria, sed soli motuum humorum morbi tolerant & postulant reuulsiones. Hinc febres malignae, dyscrasiae humorum, & omnes solidorum morbi, nisi congestiones humorum post se trahere soleant, non indicant reuulsiones. 2. Nec omnes morbi motuum humorum reuulsiones postulant. Sudores nimii vniuersales, orgasmus sanguinis vniuersalis &c. non iubent vsum reuulsiorum. Abest enim hisce in morbis specialis directio humorum versus quasdam tantum partes, quae solum reuulsiones requirit. §. 8. In has duas regulas sae-

B 2

pius

pius impingunt practici. Dolores cephalalgici & alii nonnunquam ab orgasmō quodam vniuersali & ebullitione sanguinis, aliquando etiam a caussis in partibus solidis haerentibus oriuntur e. g. Cephalalgia a ventriculo depravato: nihil tamen secius nonnulli medici statuant eiusmodi dolores in genere reuulsionibus curari, quid autem quaeſo vtilitatis in eiusmodi casibus reuulsoria praefeſſe ſerunt nescio iuxta cum ignarissimis? 3. contra ea obſeruandum eſt, reuulsiones in quibusdam partium ſolidarum & qualitatum humorum morbis indicari praefervationis cauſa, ſi nempe ex iisdem morbis de congeſtione quadam noxia periculum ſit. Sic e. g. ſpasmorum comites congeſtiones ſunt, ex dyscrasia humorum oriuntur nonnunquam inflammatoriae congeſtiones, imo nonnulli partium ſolidarum morbi ex congeſtione difficile obſeruanda & cognoscenda oriuntur, v. g. calculus renū, & tum omnino in hiſce morbis reuulsiones vſu veniunt §. 8. 9. Hinc caueat ſibi medicus ab hiſ sequentibus Maioribus: Vbi morbus in ſolidis, ibi non indicatur reuulſio: vbi morbus qualitatis humorum, vbi morbus motuum vniuersalium, ibi non indicatur reuulſio; & vbi nulla congeſtio obſeruabilis i. e. per ingentes dolores ſeſe manifeſtant, ibi nulla: hinc non indicatur reuulſio.

§. 12.

4. Ad reuulsiones obtinendas non conueniunt remedia humores vniuersaliter commouentia, vel in toto corpore aequaliter diſtribuentia. Eſi enim aequalis diſtributio, humorum ſepe praefet optimae reuulſioni, ea rāmen ad scopum reuulſorium non pertinet, ſed potius ipſi eſt contraria. Haec cautela in primis noranda eſt

est in illis casibus vbi reuulsio per medicamenta interna
instituenda est. Sic e.g. laxantia reuellendi scopo adhi-
bita, quae simul sanguinem vehementer commouent,
plus damni quam emolumenti & perturbationem motu-
um morbique exacerbationem certissime producunt.
Hinc etiam cauendum est, ne cum remediis reuulsoriis
vno eodemque tempore coniungantur diaphoretica for-
tiora, quae operationem reuulsoriorum turbant, & re-
uulsionem ipsam impediunt. §. i. 5. Nulla reuulsio est le-
gitima, quae non sufficit ad impediendum & tollendum af-
fluxum humorum particularem versus partem morbosam.
Hinc operam nauare oportet, vt hic finis legitime im-
petretur, quod sit, partim per vim reuulsorii opposi-
tam, partim per alia medicamenta coniuncta. Haec est
ratio, cur pleraque reuulsoria coniungi debeant, cum
temperantibus, quando legitime operari debent, & quia
haec cautela a multis negligitur, sinistri inde effectus
non raro nascitur. Vis dirigens humores in partem
quandam specialem rarissime vi opposita reuulsoria tota-
liter impediiri potest. Tunc enim vis reueliens non so-
lum oppositae congestoriae aequalis esse, sed etiam in-
tantum eandem superare deberet, vt directionem humo-
rum oppositam produceret. In plerisque itaque casibus
vis illa dolorem exquisitissimum caussaret, & hac ratione
morbus per morbum maiorem propelleretur. Quodsi
autem temperantia prius adhibentur & cum ipsis reuul-
sionibus coniunguntur, vi congestionis multum detrahi-
tur & placidior humorum motus obtineretur, quo impe-
trato facilius quoque est, eosdem ad partem aliam diri-
gere.

§. 13.

6. Reuulsio adfluxum congestorium quidem tollens, non tamen alium illi oppositum producens, nulla est, quia foret mera temperatio. Hinc omne remedium reuulsorum agere debet, excitando motus. In hoc consistit virrus horum remediorum, & secundum hanc regulam dijudicari & eligi debent omnia reuulsoria. Attendum tamen simul est ad gradum morbi cui reuulsiones opponuntur. Quo maior enim est congestio per reuulsionem impedienda, & quo maior gradus eiusdem superest post visum temperantium, eo maiorem vim reuulsorum habere debet, hinc eo fortius est eligendum. Haec proportio si legitime obseruatur, impedit quo minus effectus reuulsiorum ut plerumque sit, iusto sit vel maior vel minor. 7. Reuulsoria non facile adplicanda sunt ad loca, quae parvi adfectae sunt propiora, nisi peculiares circumstantiae contrarium postulent. Sic e.g. in apoplexia Raninae saepe bono cum effectu secantur, quia periculum est in mora & reuulsoria, quae in maiori distantia adplicantur tardius iuvant. Interim plerumque reuulsiones in loco, parti adfectae nimis propinquae institutae, maximas molestias, imo & morbi augmentum post se trahunt: tum enim adfluxus nouus inuiratus versus eundem locum & vires congestoriae & reuulsoriae virtutae eundem effectum producendo, maiorem efficiunt morbum. Nonnulli medicorum, praecipue vero chirurgi contra hanc peccant regulam, & haec est ratio, cur plurimae reuulsiones sinistrum edant effectum. Ex eodem fonte reuulsiones a prudente medico in extremitatibus & praesertim in pedibus instituuntur, nisi ipse morbus

morbus in hisce partibus regnet. 8. Reuulsoria non ad-
plicari debent in partibus, vbi affluxus periculum maius
minatur, quam ipse morbus. Hinc cauendum ne in par-
tibus nobilioribus aut nimis sensibilibus adplicantur. Vi-
tae enim periculum in vrroque casu habes cur verearis.
Saepe talis inconsiderata adplicatio reuulsoriorum mor-
tem produxit. Comparanda tamen semper est reuulsorii
vis cum partis cui adplicatur, sensibilitate. In partibus
enim minus sensibilibus fortiora, in sensibilibus autem
placidiora reuulsoria adplicanda sunt.

§. 14.

Dantur reuulsionum genera pro diuersis reuulsorio-
rum operandi modis diuersa. Pertinent huc primario
euacuationes humorum reuulsoriae modo per Venaese-
tionem, modo per hirudinum applicationem, modo
per fonticulos, seracea &c. instituendae, quarum ope-
randi modus facillime potest demonstrari. Ponamus
enim partem quamdam corporis humani A, versus quam
humores praeternaturaliter congeruntur: Ponamus aliam
partem B in qua reuulsio instituitur per euacuationem
humorum. Humores corporis nostri versus illam sem-
per transiunt partem, vbi minima iisdem opponitur re-
sistentia. Cum iam in parte B exitus humoribus conce-
darur, nulla ibidem est resistentia, hinc versus hanc par-
tem mouentur. Vasa partis B depletur, & in eodem
fere momento coguntur ex vasis his proximis humores
in vasa haec partis B deplera. Quum autem rati modo
haec propiora vasa itidem depleantur humoribus, alii
humores ex vasis, quae his sunt proxima, in eadem in-
trant, & sic continuat mutua vasorum depletio & imple-
tio

tio per omnes corporis partes, ita tamen ut omnes humores versus illam dirigantur partem, ubi exitus iisdem conceditur. Inter has partes etiam est pars A cuius ergo vasa etiam aliquo modo depletur, quia humores in iisdem congesti versus partem B secedunt ob vasorum proximorum depletionem. Hoc ergo modo per evacuationem quamdam humorum in parte B, reuelluntur humores a parte A & hic est modus operandi horum reuulsiorum.

§. 15.

Ex ipso hoc operandi modo evaucationum reuulsoriarum patet, has evaucationes esse debere largiores, & eo quidem largiores, quo magis pars morbosa distat ab illa in qua reuulsoria evaucatio instituitur, nisi peculiares circumstantiae hic exceptionem faciant. Quum enim reuulstio humorum ad partem A congestorum non possit exspectari, nisi vasa in partis A vicinia posita, iam notabiliter humoribus sint depleta, id autem eo difficilius contingat, quo magis e longinquuo evaucatio reuulsoria instituitur, necesse est, ut maior humorum quantitas evaucetur, quo humores partis affectae eo facilius & certius reuellantur. Haec est causa, cur in congestionibus periculosis e.g. apoplectis, evaucatio reuulsoria in loco non multum a loco affecto e.g. a capite & cerebro distante institui debeat. Patet etiam, cur evaucationes sanguinis in maioribus congestionibus praferantur aliis, aliorum scilicet humorum, quorum maior copia non potest breuissimo tempore evaucari. Hinc fonticuli, setaceae &c. plerumque praeservandi scopo tantum adhibentur, & inefficaces deprehenduntur in ipso morbo congettore.

istorio, nisi ille aut leuioris sit ponderis, aut alia accederat cauſa, quae vim reuulsoriā augeret e. g. si haec remedia magis dolorem producendo, quam humores eliminando reueellunt.

§. 16.

Neque minus patet ex ipso modo operandi eva-
cuationum reuulsoriarum, cautissimam esse debere ele-
ctionem loci, vbi haec reuulſio instituenda est. Quum
enim in his reuulsionibus ingens copia humorum corpo-
ris versus eandem dirigatur partem, cauendum est quam
maxime, ne ad tales partes dirigatur, vbi eiusmodi ad-
fluxus maiora damna inferre potest. Haec annotatio
non ſolum valet de paribus ipsis, in quibus reuulſio fit,
ſed etiam de illis, quas tranſire debent humores ante-
quam ad locum perueniant, vbi excernuntur. Sic ve-
naeſectiones in brachio ſaepe ſinistrum edunt effectum,
quia a collectione humorum circa pectus non raro op-
pletiones ſuffocatoriae, lipothymicae, palpitationes cor-
dis &c. oriuntur. Hinc niſi peculiares circumſtantiae
contra indicent, tales reuulsiones optime in pede insti-
tuuntur. Ex eadē ratione improbanda videretur non-
nullorum medicorum conſuetudo, qua venam capitū
vulgo die Rafeader dictam, reuulsionis cauſa fecant, eti-
morbus non ita comparatus fit, ut periculum in mora sit.
Hac enim ratione humorē eo magis versus caput diri-
guntur, hinc non mirum est, ſi ſaepiffime morbus per
eiusmodi curationē incongruam augeretur potius quam
impeditur. De fonticulis & ſimilibus reuulsoriis idem

C

tenen-

tenendum est, quamquam concedam, per haec, quia leniter agunt, non adeo obseruabilia dama introduci, licet in loco incongruo adplicantur. Interim tamen error eiusmodi practicus in causa esse potest, cur morbus per longius temporis spatium duret, nonnumquam exasperetur & post curationem saepius recurrere soleat. Deriuanda enim omnia haec sunt ex eo, quod humores prope locum affectum vel alium, qui talem affluxum preferre non potest, dirigantur.

§. 17.

Alia reuulsiorum species est, qua humores per fortiorum sensationem coguntur, partem aliquam irruere, & horum modus operandi ntitur fundamento illo physiologico, quod quamlibet sensationem sequatur motus proportionalis. Haec lex, quam celeberrimus Dn. Prof. KRÜGER in Physiologia §. 40. &c. ex experientia demonstrauit, foecundissima etiam in pathologia & therapia existit: secundum hanc eo maior affluxus ad partem quamdam excitatur, quo maior in eadem sensatio productur. Si ergo secundum hanc legem reuulsioni institui deber, necesse est, ut in parte, quae parti morboe opposita est, producatur sensatio tanta, quanta sufficit, ad affluxum versus eandem deriuandum. Haec reuulsionum species pluribus adhuc quam antecedens circumscripta est legibus, quas generatim hic considerabimus.

§. 18.

Non omnes morbi, qui reuulsiones indicant, permit-

mittunt hanc earundem speciem. In casu plerorae vrgentis, quae saepissime congestionum mater existit, rassisime conducunt huius generis reuulsiones praeципue fortiores. Tunc enim massa sanguinis adeo magna est, ut ex leuissima cauilla horrendi commotionis effectus ab impetu sanguinis sint metuendi. Reuulsiones autem fortiores, quae a stimulo & foriori sensatione dependent, semper humores commouent, quia in eo fere momento, quo fortior sensatio existit, proportionatus etiam motus oritur, qui non nisi fortis esse potest. Metuenda itaque haec est reuulsionum species & cane ac angie peius fugienda, quotiescumque subiectum valde pleroricum obseruatur, nisi quidem placidissima sensatio sensim tantum sensimque augeatur, quod tamen si sit, paucum praefat, & morbum potius augere potest, quia leuis commotio sanguinis, non tamen sufficiens, eundem ad alium dirigendi locum, nihil aliud est, quam additamentum ad cauassam, quae morbum produxit. Hinc in his casibus prior reuulsionum species §. 14. magis suadenda est, quam haec. Hanc cautelam vellem, ut plerique praticorum solertissime obseruarent, ne tot mala a periculis tentatis his reuulsionibus aegrotantibus infligerentur, quanta & quot proh dolor! saepissime produci obseruantur. Notandum itaque est, has reuulsiones praecipue fortiores nunquam conducere, nisi in illis casibus ubi sensationes fortiores tolerari possunt sine detrimento vel virae vel sanitatis restituendae. Hoc autem in multis casibus non obseruatur, ubi plerique ad has reuulsiones refugere solent.

§. 19.

Quotiescumque per sensationem fortiorum reuulsio instituitur, dispiciendum est, ut commotio vniuersalis sollicite praecaueatur. Plures rationes hoc suadent: partim enim plurimae congestiones, quibus reuellendo occurritur, a plethora dependent, quae fortiores sensaciones non tolerat §. 18. partim omnes fortiores sensations vniuersaliter quomodocunque commouent. Fortiores enim sensations fortiores nervorum motus tremebundos excitant, qui cum se propagent in partes cum ipsis connexas facilime commotioni vniuersali ansem praebent. Accedit, quod ipsa humorum versus partem in qua sensatio fortior producitur vehemens ad pulsio reflectetur de spastica vasorum oppositorum & distantium contractione sine qua humores non possent per sensationem ad locum peculiarem inuitari. Praecauetur autem commotio vniuersalis pluribus modis. Non solum enim temperantia coniuncta hic bene se commendant, sed etiam successiva tantum sensationis producendae adiunctio, placidiorum stimulantium applicatio, loci non adeo sensibilis electio &c. optime hoc malum auertere queunt. Et quo facilius hac ratione commotiones tales imperuosa auerti possunt, eo magis dolendum est, medicos saepissime has praecautiones negligere, & partim abstinentia ab vsu temperantium, partim vsu fortissimorum stimulantium e. g. cauteriorum applicatione, partim electione partium sensibilissimarum &c. vniuersales commotiones humorum directe inducere, quae tamen certissime efficiunt, ut curatio reuulsoria sinistrum edat eff. etum.

de Reuulsoribus generatim.

21

Clum. Prae omnibus cauendum est, ne interne adhibita reuulsoria stimulantia e. g. laxantia nimis forra elegantur, qualia purgantia sunt: haec enim commotiones vniuersales certissime producunt.

§. 20.

Iustus stimuli gradus, quemadmodum (vii ex §. 19. paret) transgredi non debet, ita etiam obtineri & attinigi deber necessario, nisi reuulsorium frustra adPLICatum esse oporteat. Gradus ille iustus determinatur ex gradu congestionis cui opponitur reuulsion. Quo enim maior haec est, eo maior sit necesse est vis ipsi opposita. Hinc medicus omnes modos optime perspectos habeat, quibus sensatio augeri & ad iustum gradum eveni possit, qui subsumitur ex imminutione dolorum & morbi congestiorum. Modi, quibus sensationes augeri possunt multiplices sunt: singulos qui ad reuulsiones adPLICari possunt, in medium hic proferre liber.

§. 21.

1. Pars sensibilior ad adPLICandum reuulsorium stimulans eligi potest; tunc stimulantia fortiora saepe non sunt necessaria, et si reuulsion satis magna impetranda sit. Haec regula adPLICari potest vbi fortiora remedia aut non sufficiant aut incongruentia sunt. Qua is vero quoruscunque aut sensibilissimae partis, aut aliae eliguntur, quae discrepant regulis § 13. no. 7. 8. adductis. De reliquo hic tenendum, quod semper medicamenti, temperamenti, sensibilitatis & consuetudinis ratio simul habenda

C 3

benda



Dissertatio inauguralis medica,

22

benda sit. Sic quo fortius est medicamentum, eo magis pars minus sensibilis eligenda; vbi sensibilis est temperamentum, idem obseruandum, & quando pars quae-dam iam saepe idem reuulsorum applicatum habuerit non adeo sensibilis ad eundem finem iudicanda est, quam in casu contrarii foret.

§. 22.

Potest etiam sensatio augeri 2. quando remedium maioris vis applicatur, tantum hoc non fiat contra regulas horum 18. 19. 20. Haec regula applicari potest vbi antecedens §. 21. obseruari nequit. Quibus autem periculis coniunctio ambarum harum regularium obnoxia sit, patet iam ex §. 19. Hinc vna accepta, altera turius negligitur. Haec reuulsoria interim imperuose agentia satis superque sunt nota, & modus eadem applicandi admodum specialis est; ita ut enarratione & explicacione eorundem omnino supersedere possumus. Optandum sane esset propter creberimum eorundem abusum, ut tantummodo a paucioribus & prouidis medicis non ignorarentur.

§. 23.

Sensatio potest augeri 3. augendo reuulsoriis effica-ciam, id quod iterum diuersimode obtineri potest. Ni-mirum & applicando plura reuulsoria eodem tempore & regione corporis, vbi prae aliis obseruandum est, quod haec simultanea plurium reuulsiorum applicatio in lo-cis sibi oppositis effectum potius destruat, quam angeat.

β idem

¶. idem faciendo diuerso tempore. In hoc scilicet casu, quando temporis spatium non adeo exiguum est, quod praeterlabit, antequam post priorem reuulsionem altera instituitur, facilius toleratur, vt diuerfae corporis regiones elegantur. Interim tamen si nihil obstat melius est, eundem eligere locum, ne humores mox hoc mox illuc trahantur, & hinc commotionibus vniuersalibus ansa praebeatur. Tam in casu priore quam posteriore id obseruandum est, quod etiam leniora remedia operae pretium saepissime faciant, hinc hae regulae applicari possunt, quando fortiora medicamenta in usum trahere medicus dubitat. Exemplum dant frictions, quarum operandi modus nullus alias, quam productio plurium sensationum non adeo fortium, sed in pluribus punctis regionis cuiusdam corporis simul existentium. Hoc remedium saepissime promptum & exoptatum effectum reuulsorum edit, & multis fortioribus stimulantiibus omni iure praeferri meretur. γ. Adplicando idem remedium cuius vires non sufficere videntur in parte magis sensibili: cuius legis veritas pater ex §. 21. δ. eligendo fortius remedium per § 22. quod aut coniungi cum debilioribus, aut omissis his, solum applicari, aut interponi debilioribus potest.

§. 24.

Tandem sensatio etiam potest augeri 4. remouendo vel imminuendo impedimenta efficacie reuulsorii opposita. Hoc obtinetur α remouendo physica qualia cunque impedimenta, quae legitimae reuulsorii applicacioni

tioni & efficaciae eiusdem sunt contraria. $\beta.$ impediendo sensationes fortiores heterogeneas i.e. reuulsoriorum effectum turbantes. Hinc prae omnibus dolores a morbo, cui opponuntur reuulsoria dependentes placandi sunt per temperantia, moderantia, anodyna &c. Saeuentibus enim adhuc his, sensatio reuulsoria maior excitanda esset, quam dolores ipsi forent, quod tamen aegrotantem maioribus vexaret cruciatibus quam ut par esset tolerando. Patet hinc de nouo necessitas usus temperantium in curationibus reuulsoriis, quem tamen admodum pauci medicorum suadent. $\gamma.$ impediendo singulas, si plures adsunt sensationes etiam debiliores. Hae enim, si unum tantum locum occupant impediunt reuulsionem instar vnius sensationis fortioris, si autem in pluribus diversis locis obueniunt, non aliter impediunt effectum reuulsorium ac sudor vniuersalis §. 12. n. 4. $\delta.$ impidiendo etiam alias perceptiones heterogeneas fortiores. Animus distractus vel profunde meditabundus multa plane non sentit, multa in minimo tantum gradu sentit, quae ab aliis fortiter sentiuntur. Hinc tempore reuulsionis eo praecipue dispietas, ut animus aegrotantis colligatur & tranquillus persistat.

§. 25.

Vnica, quamquam legirime instituta reuulsio per sensationem fortiorum in plerisque pertinacioribus congescionibus ad morbum plenarie tollendum non sufficit. Valet hoc etiam de fortissimis reuulsionibus. Hinc medicus cogitet reiterationem curationis esse necessariam,

Contra

Contra hanc obseruationem multi medici peccant. Si enim reuulsio prima exoptatum effectum non praefstat, ordinario ad aliam curationis speciem refugunt, & reuulsiones negligunt. Inde tot mala prouenient, non satis deploranda. Tunc enim quando reuulsio semel tentata est, & postea non repetitur, motus eo magis turbantur & morbus difficultius curatur. Imo quando etiam prima reuulsio malum imminuisset, non statim abstinendum est a reuulsionibus hisce. Facillime enim prior congestio recurrit, nisi humores reuulsi soliciter in hac sua directione retineantur, quod per repetitas & longius continuatas reuulsiones optime fieri notum est, vt exempla fonticulorum id docent.

§. 26.

Sensationes reuulsoriae mox augendae mox immi-
nuendae sunt, prout humores per certum reuulsorium
vel nimium vel non satis reueilluntur. Modi, quibus
augeri haec sensationes possunt, demonstrati sunt §. 21-24.
quo modo autem possint imminui ex oppositis opposi-
torum rationibus facillime cuiilibet patebit. Id tantum
modo adhuc determinandum restat, in qua relatione vis
reueillens & congestoria esse & seruari debeant, si reuul-
sio esse debeat legitima. Ad hoc expedientum sequen-
tia inseruent. Vires aequales oppositae se inuicem de-
struunt, inaequalium maior motum dirigit. Hinc vis
reuulsoria non debet esse minor, quam congestioris vis,
alias congestio non superatur sed humores diriguntur in
partem morbosam, versus quam a vi congestioris mo-

D

uentur.

uentur. Nec debent esse sibi inuicem aequales, tunc enim vis congectionis vix ac ne vix quidem a vi reuulsoria superatur. Accedit, vt congectio in tali casu facillime recurrat, quando vis illa agere desinit. Hinc ad reuulsionem obtainendam requiritur vis maior, hinc & sensatio maior, quam vis congectionis & dolor exinde ortus, quippe qui congectionem mirum quantum auget. Nihil tamen minus non concludendum est, omnem sensationem reuulsoriam esse debere dolorem, & maiorem quidem, quam dolor a congectione ortus: plures enim sensations debiliores vnicam fortioriem saepe gradu vincere possunt. Cumque a multitudine sensationum debiliorum nullum notabile damnum sit metuendum, secundissimum est, in quaenunque congectione tam multis sensations tolerabiles producere, quam possibile est, saluis tamen regulis §. 23. n. β.

§. 27.

Tandem circa partis electionem, vbi sensations reuulsoriae producendae sunt, cautissime versari debet medicus, & hic quidem magis adhuc, quam vbi euacuationes reuulsoriae instituuntur. Ponamus enim in casu posteriore humores versus locum incongruum duci, euacuantur tamen & hoc modo aegrotanti bene consuliturn, quamquam reuulso incongrue suscepta fuerit. Quando autem per fortiorum sensationem humores ad locum quemdam incongruum invitantur, certissime nocent, quia corpus ab iisdem non liberatur. Hinc quam maxime cauendum est, ne per has reuulsiones humores
versus

versus partem morbosam ducantur, vbi malum omnino mirifice augere deberent. Cautelatur etiam, ne ad partes nobiliores inuitentur, praecipue per fortiora stimulanta. Si umquam cerne hic provida circumspectio medici necessaria est, magis tamen adhuc a nonnullis exspectanda, quam speranda.

§. 28.

Respectu temporis quando reuulsion per sensationem institui debet, notandum, quod optime tempore aliquis remissionis morbi fieri queat. Exacerbationis enim tempore adeo magna vis reuellens requireretur, quae vix ac ne vix ab aegrotante toleraretur. Idem ex eo patet, quod motuum temperatio antea obtineri debet, quam ad hanc reuulsionis speciem propinare & progredi decet §. 24. n. β.

§. 29.

Explicata huc usque reuulsionum per stimulum agentium indole & natura propria, nihil superest, quam quod paucissimis tantum consueta horum remediorum genera recenseam. Pertinent autem huc 1. Dropaces valide penetrantes & adhaerentes, qui partibus, quibus adhlicantur ruborem, tumorem, calorem conciliant. Componuntur ex pice oleo liquata, pipere, pyrethro, bitumine, cinere farmentorum, galbano, sale &c. 2. Sennapismi, qui ruborem, calorem, pruritum, tumorem partibus conciliant. Componuntur ex sinapi, bryonia, cepis, squilla, euphorbio, sale &c. 3. Vesicatoria seu

D 2

fortio-

fortiores sinapismi, hinc etiam maioris effectus. Eamdem etiam ac sinapismi habent materiam, & diuersitas tantummodo est in dosi acris aucta. 4. Caustica potentia, quae inflammationes & escharas producunt. Materia horum reuelantium est sal alcali fixum, lapis infernalis, mercurius sublimatus, tithymalus, esula, ranunculi &c. 5. Caustica actualia e. g. ferrum igneum. * 6. Frictiones cum pannis linteis &c. 7. Contusiones, pressiones, ligatureae extreborum, & alia media excitandae sensationis fortioris, quae quandoque ex improviso & illubenter adhibita, optimum effectum reuulsuum ostendunt.

§. 30.

Non vterius inhaerebo disquisitioni huius reuulsionum speciei, quia ad specialiora accedere animus non est. Progredior itaque ad aliam, quae ex duabus antecedentibus reuulsionum speciebus composita est. Haec operatur partim sensationem fortiorē excitando, partim humores euacuando: hinc quod ad operandi modum attinet, nihil vterius monendum habeo, & leges, quibus haec reuulsoria circumscribuntur, cum iisdem, quas iam exposuimus conueniunt. Notanda rāmen sunt sequentia 1. in plethora vrgente, hae reuulsiones ad curandam plēthoram raro sufficiunt, hinc nec congestionibus a plēthora oriundis, nisi per curationem palliariām satidant; praecipue autem hoc valet de illis reuulsionibus

* Conferatur BOERMAV. Institut. med. pag. 542. 543.

bus, quibus non sanguis sed serum tantum evacuatur, quales sunt reuulsiones per fonticulos & setacea. Scarificationes & hirudines interdum magis operae pretium faciunt. 2. Sensationes, quae his reuelentibus excitan-
tur ordinario satis debiles sunt, ira ut leniore tantum do-
lore stimulent: hinc non iuvant in iis casibus, vbi for-
tiores sensationes ad reuelendum requiruntur. Inter-
dum tamen multitudine sensationum e. g. in scarificatio-
ne, interdum duracione earundem longiore e. g. vbi fon-
ticuli applicantur, aliquid efficitur, quod spem adhuc su-
perat.

§. 31.

Praeter scarificationes, hirudines, fonticulos & se-
tacea ad hanc reuulsoriorum classem referri possunt pedilu-
via, quae partim sensum caloris producendo, partim
sudorem particularem in pedibus elicendo, egregie in-
terdum reuelunt. Cauendum tamen est, ne nimis cali-
da admittantur, alias orgasnum sanguinis comitem ha-
bere solent, nec iis subiectis ordinentur, qui eadem to-
lerare nesciunt. Permulti angustias pectoris & lipothy-
mias experiuntur, quoties pedes calidae immittunt aquae,
& hisce personis nemo medicorum prudentium pedilu-
viorum usum commendabit.

§. 32.

Supersunt forsan aliae adhuc reuulsionum species,
quae ad illas, quas recensuimus, non poterunt referri.
Quia autem recentitae species vulgatissimae sunt, acquie-
scam in his, & de utilitate reuulsionum in genere pauca
adhuc

adhuc addendo coronidem operi imponam. Dantur medicorum alii, qui reuulsionum usum quam maxime commendant, alii, qui parui easdem habent, & alia medendi genera ipsis praeferunt. Ad hunc dissensum deponendum necesse est ut sequentia ponderentur momenta.

§. 33.

Plethora plerumque est mater congestionum: hinc illam auferendo, has curamus. Non omnes reuulsiones sed pauciores tantum plethoram imminuunt, paucissimae notabiliter hoc faciunt. Sola fere Venaesectio reuulsoria magni quid facit, hinc de reuulsionibus plerisque id omnino adfirmandum esse videtur, quod tantum sint palliativa curationes. Ipsa Venaesectio etsi plethoram citato imminuat, tamen non impedit, quin paucis diebus recurrat. Hinc etiam ipsa illa curatio plethorae est tantum palliativa, nisi saepius repertatur, quod tamen ob vnicam plethorae caussam non suadendum esse mihi videatur. Concedamus itaque lubenter reuulsionum detestatoribus, nihil constantis nec firmi hisce curationibus inesse & sudorem quotidianum plus valere quam omnia reuulsoria. Nihilo tamen minus aliae rationes adsunt, quae hęc curationes optime commendant, & quarum nonnullas hic allegare licebit.

§. 34.

Non semper consultum est in curatione morborum a caussarum mediatarum remotione initium facere. Dantur

tur in nonnullis morbis symptomata, quae peioris quam ipse morbus sunt notae, nec tolerari possunt, nisi morbum in omni momento crescere concedimus. Huius generis sunt dolores, qui ab expansione partium, quas congestio humorum inuasit, ortum sumunt. Hi enim tamquam sensationes fortiores semper nouum adfluxum, nouam humorum congestionem cauissare debent §. 17. Hac ratione semet ipsos alunt, & propria vi crescunt. Concedendum est a quolibet practico, hoc symptoma noxiū prius quomodocunque esse remouendum, antequam curatio solidior institui possit: & in hec casu nihil melius sece commendat, quam efficax reuulsio. Hinc reuulsiones non solum utiles sed interdum etiam necessariae habendae sunt. Taceam iam usum ipsarum in apoplexia, catarro suffocatiuo &c. vbi nulla spes restitutionis in integrum supereret, nisi reuulsiones quandoquidem eandem promitterent.

§. 35.

Nouum quod reuulsiones commendat argumentum est celerrimus earundem effectus, a nulla fere solidiori congestionum cura facile exspectandus. In unico quasi momento, si reuulsio legitime succedit, omnes dolores evanescunt, somnus restituitur aegro, & ipsa interruptio mali, etsi minime constans sit, tamen exoptatissimum omnibus est auxilium. Hinc medici ab omnibus reuulsionibus etiam in non adeo periculosis congestionibus abstinentes, male reuera aegris suis consulunt, & cruciati bus suis eosdem relinquunt, cum tamen facili negotio iucun-

iucundissime iisdem prodeesse possent. Omnes medici, qui remedium, cito, ruto, &c iucunde iuvans pro remedio optimae notae agnoscunt, reuulsorum amici esse debent, et si hae virtutes de omnibus reuulsoriis praedicari neutiquam possint.

§. 36.

Tandem, ut vnicum adhuc addam, plurium reuulsorum sinister effectus, qui multos practicos usum eorum abhorre cogit, non latet in ipsorum remediorum qualitatibus, sed potissimum in sinistra eorundem applicatione. Forsan haec dissertatio hunc salrem usum habebit, ut osores reuulsionum de hac veritate concincentur, & tunc me his curationibus nouos amicos esse conciliaturum nullus dubito.

TANTVM.



halle, Diss., 1750. A-H





DISSE⁷TATIONEM SOLEMNEM
DE
REVVLSIONIBVS
GENERATIM

PRO GRADV DOCTORIS

D. IX. I V L. M D C C L.

PVBICE DEFENDET

A V C T O R

IOANNES CHRISTIANVS BOLTEN

TYCHOPOLI - HOLSATVS.



HALAE MAGDEB.
LITTERIS HENDELIANIS.

